



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus de Conscientia, de Legibus, de Peccatis, de Virtutibus
Theologicis, de Religione, & Beneficiis. Adjunctis in hac editione
Propositionibus ad hanc usque proscriptis

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, 1734

VD18 90392140

Q. 3. An Lex naturalis præcipit?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40986

rei necessarium est ad vivendum decenter, ac conformiter naturæ rationali ut rationali, & prohibens quidquid ex natura rei dedecet naturam rationalem ut rationalem; atque etiam statuens ea, quæ ex se necessaria sunt ad valorem actuum.

Hanc obligare sub mortali in re gravi, fide constat ex ad Rom. 1. *Qui talia agunt (contra legem naturalem) digni sunt morte.* Et c. 2. *quicumque sine lege (Scripta) peccaverunt, sine lege peribunt*, propter peccata scilicet contra legem naturalem commissa. Enimverò legem naturalem violans in re gravi, offendit graviter Deum, quem non potest invincibiliter ignorare esse illius authorem. Porro Christus explicuit, & sancivit præcepta moralia legis naturalis, eorumque omnium observationem præcepit. Quare Lex omnis naturalis est etiam Evangelica quoad materiam, seu rem præceptum, & veritatem.

Q. 3. An Lex naturalis præcipit, ut semper fiant actus honesti, ac boni?

Resp. Aff. Quia Lex naturalis præcipit, ut homo semper vivat decenter, seu agat modo consentaneo naturæ suæ rationali, quæ rationalis est: & sic præcipit homini id omne, quod necessarium est ad vivendum, seu agendum semper honestè

nestè, ac decenter naturæ rationali ut rationali. *Omnia honestè, & secundum ordinem fiant.* 1. ad Cor. 14. At ad semper agendum honestè, ac decenter naturæ rationali, quâ rationali, necesse est, ut omnis ejus actus deliberatus sit consentaneus naturæ rationali quâ rationali, ideóque honestus. Ut autem actus sit honestus, ac bonus necesse est, ut sit de objecto bono, vel indifferenti, sed conducibili ad bonum finem, ut fiat modo convenienti, & in circumstantiis objecto debitis, & propter finem honestum. Nam si unum ex iis desit, actus non est bonus, sed malus: tunc enim non tendit decenter, ac convenienter naturæ rationali in objectum finem, & circumstantias actui debitas; & sic non convenit, sed disconvenit naturæ rationali, seu intellectuali, nec à recta ratione approbatur, sed improbatur: quippe recta ratio dicitur eum solum actum esse bonum, & laudabilem, qui habet objectum legitimum, finem honestum, & circumstantias objecto debitas. Hinc illud axioma Theologicum *Bonum ex integra causa, malum ex quolibet defectu.*

Q. 4. *An Lex naturalis potest mutari?*

Resp. I. Ex communi. Non potest mutari propriè. Quia Lex mutatur propriè, cum desinit, aut fit inhonesta, noxia vel
in-